28

DEO FAVENTE.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

ex

Fundamentis Hippocraticis & Hermeticis

illustrata,

De

CANCRO.

Quam

JUSSU ET DECRETO

Splendidissimæ & Gratiosissimæ Facultatis Medicæ,

in perillustri & florentissimâ SALANA,

PRÆSIDE

Amplissimo, Excellentissimo, & Experientissimo

VIRO,

DN. GOTHOFREDO MOEBIO,

Medic. Doctore, & Professore Publico celeberrimo,

Facultatis Medicæ p. t. DECANO spectatissimo, Hermete nec non Practico famigeratissimo, & felicissimo, Domino Præceptore, Patrono, & Fautore suo plurimùm observando,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medicâ Honores, Dignitates, ac Privilegia DOCTORALIA legitimè consequendi

Publico Eruditorum Examini submittit

M. JOHANNES NICOLAUS FINCKIUS,

Smalcaldiâ - Francus,

D. 9. Augusti

Horis locoque consuetis.

JENÆ, *Typis JOHANN-CHRISTOPH. WEIDNERI,*

Anno M. DC. XLIV.

VIRIS

AMPLISS. CLARISS. SPECT.

TISSIMIS ET PRUDENTISSIMIS,

Dnn. PRÆTOR

CONSULIBUS, COETE

RISQ; SENATORIBUS LAUDA

TISSIMÆ REIPUBLICÆ SMALCAL-

DIENSIS DIGNISSIMIS, OMNI-

BUS AC SINGULIS FAUTO-

RIBUS, ET AMICIS SUIS

HONORATISSI-

MIS,

DISPUTATIONEM HAN

MEDICAM DOCTORALEM

SACRAT

AUTO

Deo Favente.


Nter tumores, qui p. n. hominem affligere solent, periculosissimus ferè est, qui Cancri nomine indigitatur. Etenim sive refractarium ejusdem genium attendas; sive loca, quæ non raro satis nobilia infestat, perlustres; sive graviora symptomata concurrentia, dubiumq; curationis eventum contempleris; nil nisi miserrimam hâc labe laborantis ægroti conditionem deprehendes, ut adeò *Divinus Senex. 6. aph. 38.* hunc affectum non curare interdum meliùs & consultiùs esse, non immeritò existimet. Quum verò, quæ majori cum periculo conjuncta, majori studio pertractanda sint, *Gratiosissima Facultas Medica* facem mihi hâc in parte præferre voluit, authorq; fuit, ut hunc morbum præ cœteris perscrutatu necessarium, ventilatu dignum, publico eruditorum examini, loco Inauguralis Disputationis proponerem. Hisce ergô mandatis obsequi omninò erat æquum. Largiatur Deus Opt. Max. istis meis conatibus exoptatum eventum, & faxit, ut cedant in nominis sui gloriam, Nobilissimæ Artis Medicæ incrementum, plurimorumq; ægrotorum desideratam salutem!

Vocabulum CANCRI è Græco in Romanum deductum esse forum videtur; siquidem originem suam habet ab antiquo γάγγρος, quo de *Becmann. in Origin.* agit. Nonnulli à γράω i. e. ἐσθίω derivari scribunt; vel ut *Hesychius* vult, à γραίνειν edere, comedere, unde *2. Tim. 2, 17.* legitur: ὁ λόγος αὐτῶν ὡς γάγγραινα νομὴν ἕξει.

Sumitur aliàs, ut etiã iis notum, qui nondũ ære lavantur, modò pro animali aquatico, modò pro cœlesti sydere. In Foro autẽ Medico *Cancri* voce ille affectus salutatur, qui aliqualẽ cancri animalis fluviatilis speciem, venulis vitioso sanguine turgentibus repræsentat, ut videre est apud *Gal. 2. ad Glauc. c. 10.* ubi inquit: *In mammillis sæpè vidimus tumorem formâ ac figu-*

râ cancro animali exquisitè consimilem. Nam quemadmodum in isto pedes ex utraq; parte sunt corporis: ita in hoc morbo venæ distenduntur ac figuram omninò similem cancro repræsentant. Et in hoc significatu à Chirurgis dicitur interdum I. GENERALITER *sive impropriè*, de tumoribus perversis & pustulis, sicuti furunculo & carbunculo, tumore sub oculo in illius orbitâ nato, polypo in naribus, & gangrænâ gingivarũ, teste *Felic. Plater. Prax. tr. 2. c. 17.* Sic & *Celsus lib. 5. c. 26.* Cancri nomen pro genere de quibuslibet serpentibus ulceribus usurpat, sub quo & Erysipelas ulceratum & gangrænam & sphacelũ comprehendit. A quibus tamen verus Cancer longè differt. II. SPECIALITER verò & *propriè* acceptus, denotat tumorem cum vel sine ulcere durum, cancri fluviatilis formam externam & mores imitantẽ. Atq; tumorem hunc Cancro aquatili *in figurâ* (qualem *Ambros. Pareus l. 6. de tum. cont. nat. in gen. c. 26.* adpingit) adsimilari posse, Medicorum coryphæi, iiq; plurimi testantur. Unde *Johan. Bapt. Montan. Cons. Med.* tumorem cancri, corpus, venas verò brachia appellat. *In substantiâ* quoq; est similitudo; quia ut ait *Aëtius l. 16. c. 43.* tumor iste habet superficiẽ inæqualẽ, asperam, & duram, qua-lis & cancri marini testa sive crusta exsistit. Item *in moribus* cancrum marinum imitatur. Sicut enim cancer animal, cùm quid suis forcipibus adprehenderit, arctissimè illud retinet, vixq; ab eo potest avelli: ita morbus isthic difficilè admodùm partem quam invasit, deserit, prout *Fallop. tom. 3. c. 19.* ait. *Petr. Forest. observ. Chirurg. l. 4. de tum. p. n.* refert; tumorem hunc & cancri animalis colorem repræsentare, nempè subnigrum.

Græcis communiter vocatur καρκίνος, & καρκίνωμα; *Arabibus* sartan, & aliquibus *cancrosus tumor*. Alii *Lupum* haut absurdè nominant: quoniam carnes gallinaceæ si adponantur, quotidiè ferè absumit & devorat; vel si illi pro pabulo non offerrentur, carnes proximas, ceu lupus quidam famelicus, ad eandẽ quantitatem depascit. Quidã affectum hunc, *Noli me tangere* appellari posse putant, quod acria non ferat medicamenta: quantò magis enim sinistrè tractatur, tantò magis indignatur. *Germanorum Dialecto* audit **der Krebs oder der Wolff-**

Wolff. Nec desunt qui cancri nomen tantummodò tumori nondũ ulcerato, carcinomatis verò vocabulũ jam exulcerato tumori attribuũt; tamen plurimi Artis Asclepiadeæ Proceres synonyma esse volunt, quorũ vestigiis & mihi insistere libet.

Præmissis hisce, quæ ad cognitionem τοῦ ὁρισμένου ὀνοματώδην pertinent, ad ipsam πραγματώδην, quæ propiùs ad Indicationes Curatorias me deducit, accessũ facio, & Cancrum definio, quod sit *tumor p. n. cum vel sine ulcere durus, tactui renitens, dolens, calidus sed absq; febre; modò inæqualis, modò rotundus: livescens, vel subniger, venosus, & cancri animalis marini formã repræsentans, inq; partibus carnosis ab humore atrabilario adusto & corrupto exortus.*

GENUS, quòd formæ locum obtinet, est tumor p. n. sive morbus instrumentalis in auctâ magnitudine: quia pars aliqua à naturali statu, magnitudine auctâ recedit. P. n. addo, quoniam non omnis tumor, ut uteri prægnantis, mammarum lacte turgentium p. n. est. Hinc etiam *Galenus librum suum de tumoribus non simpliciter, sed de tumoribus p. n.* inscribit. Aliàs quidem *Galenus* an tumor ad morbos organicos, an verò ad partes similares pertineat, dubios nos reddere videtur. Etenim 1. *de caus. sympt. c. 2.* tumores ejusmodi ad morbos organicos refert, dum φλέγμονας, scirrhos, abscessûs, & id genus alios morbos instrumentalium partium esse, clarè scribit. *De diff. verò morbor. c. 13. & de caus. morb. c. 6.* inter intemperies & similarium partium morbos tumores recenset. Ex Recentioribus etiam *Eustachius Rudius, Hieronymus Capivaccius, Fallopius, Fabricius ab Aquapend.* aliiq; non unum idemq; sentiunt. Verum enim verò, ut breviter me expediam, tumorem ad morbos instrumentales in auctâ magnitudine pertinere, intemperiemq; interdum ceu morbum similarium partium accedere posse liquidò adfirmo. Quatenus ergò cancer est cum tumore & intemperie, morbus est similarium partium, & simul instrumentalium in auctâ magnitudine. Quatenus verò ulcus accedit, solutæ etiam unitatis affectus, & sic complicatus morbus nominari potest.

Tumor hic in principio levis est, qui progressu temporis, sæpiculè & subitò *teste Mercato*, in notabilē adsurgit molē, qualem *Excellentissimus Dn. Præses, Præceptor & Fautor meus honorandus, nuper in Ducali Schöningensium urbe*, in civis cujusdā filiā animadvertit. *Est cum vel sine ulcere*, pro causæ mitioris vel acrioris ratione. Quæ enim bilis atra mitior, cancrum latentem & non ulceratū excitat: Quæ verò calidior & acrior est, exulceratū efficit. Acrior autem est bilis atra, prout magis aduritur, vel ex humore acriore oritur. Unde quæ ex flavâ bile adustâ proficiscitur, pejor est quàm quæ ex humore melancholico. Quo diutius etiam in loco affecto subsistit, ac magis putrescit & aduritur, eò deterior redditur, & citius in ulcus transit, *Galen. 14. meth. c. 9. Durus est*: quia oritur ab humore sicco, feculento, adusto, salino & Tartareo; qui à mitioribus succis sequestratus, & in extremitatibus vasorū coacervatus, quum ob crassitiē penetrare nequeat, tumorē durū, qualiter etiā in scirrho fieri videmus, non potest non conflare. *Et tactui renitens est*. Renixus, inquit *Gal. 14. meth. med. c. 9.* hisce tumoribꝰ valens est: ac si venas evidentiores membrū habere, exaltatas eas à crasso & nigriore quodammodò sanguine, cujusmodi per alvum aliquando non paucis epaticorum excernitur, videre licebit. *Dolor* conjungitur: quia humor acris partes sensiles distendit & lancinat. *Calidus etiam est*: quia ab humore calido, atrâ bile ortū habet. Quamvis enim nonnulli in dubiū vocent, an bilis atra sit calida an frigida; & ab *Arabibus* præterea inter frigidos morbos cancer recenseatur, atq; in eam sententiam *Gal. l. de atr. bil. c. 4.* descendere videatur, ubi ait: *Quæ suâ crassitudine per cutis densitatē traduci nō possunt, sed intùs coërcentur, detinenturq́ʒ, si calida sint, carbones, sin minùs talia, cancros progignunt*: tamen rectissimè cum *Galeno l. de tumorib. c. 8. 10. 11.* inter tumores calidos numeratur, quum non ex humore melancholico frigido & sicco; sed ut dictū, ex atrâ bile calidâ & siccâ ortū habeat, *Sennert. l. 5. Prax. part. 1. c. 20. Absqʒ febre quoqʒ est*: Licet enim calidus tumor sit, non tamē æquè calidus est ac inflammatio, ut habet *Mercatus Instit. Chirurg. l. 1. instit. 7.* Unde etiam absq; febre excitatur: quoniā bilis atra ex fervore aliorum humorum, cessante tamen jam fer-

fervore, aut saltem non adeò vigente, ut febrem excitare possit, sicut in phlegmone, & erysipelate fieri solet, generatur. Porrò tumor hic *modò inæqualis, modò rotundus, item livescens, subniger & venosus est, cancriq; animalis formam repræsentat*, nimirũ pro qualitate & ratione adfluentis materiæ, nec non conditione partis recipientis variat, ut colligitur ex *Galen. 14. meth. med. c. 9. & l. 2. ad Glauc. c. 10.*

SUBJECTUM sive Partes adfectæ in Definitione proponuntur μόρια σαρκώδη sive Partes carnosæ. Per partes autem carnosas non carnem musculosam solùm, verùm etiam omnes alias carnis, ut viscerosæ, glandulosæ, & membranosæ differentias, prout aliàs à *Ruffo Ephes. Hippocrat. & Galen.* declarantur, intelligo. Hinc cancrum in omnibus hisce partibus generari posse, statuo. Quod clarè liquet ex *Galeno ad Glaucon. l. 2. c. 10.* quando cancrosos tumores in omnibus quidem partibus corporis fieri, imprimis tamen in mammillis mulierum, quæ purgationem secundum naturam non habent, exoriri adfirmat. Et hoc fidissima rerum magistra, experientia attestare videtur. Nam in faucibus, *Medicorum Princeps Hipp. 7. epid. Victor Trincavell. l. 3. consil. 111.* in lingvâ, *Forest. l. 11. observ. 21.* in oculi cantho, & *Aët. l. 16. c. 96.* in utero, multique alii in mediâ corporis parte, & in tibiis & cruribus exortum observarunt. Præcipuè verò nascitur, ut habet *Celsus l. 5. c. 28.* in partibus superioribus circa faciem, nares, aures, labia, mammas fœminarum, quæ imprimis ob laxitatem facilè humorem adfluentem recipiunt, & ob consensum, quem cum utero habent, vitiosos illos humores per uterum expurgandos promptè admittunt.

CAUSA IMMEDIATA juxta *Dogmaticorum Medicorum* sententiam est humor atrabilarius adustus & corruptus, ex flavâ bile, vel humore melancholico, feculento, & Tartareo aliisque humoribus, generatus. Hic humor, quando nimis cumulatur, à natura ceu molestus expellitur; quumque non semper vias ordinarias excrementorum evacuationibus destinatas invenire queat, ad peripheriam partis internæ vel externæ protruditur, ibique, cùm ad alendum sit ineptus, in

vena-

venarum extremitatibus coacervatur, corrumpitur, & non raro malignam quandam qualitatem induere videtur. Nec id mirum cuipiam accidat. Nam omnis humor, quando quiescit, & in venis, aliis humoribus adhuc est mistus, mitis est, minusque corpus infestat; Quando vero movetur, & ab aliis succis segregatur, redit ad geniū, fit deterior, corrumpitur, corpusque infinitis modis lædit, quemadmodum *elegan-ter hæc Galen. l. de sympt. caus. notavit.* Colligitur in parte vel sensim, vel ἀθρόως & confertim influit, præprimis accedente membri debilitate, calore & dolore.

Hermetici, carcinomatis hujus causam ducunt ex sale Tartareo excrementoso, Arsenicali & Realgarino, quod separatur à sale dulci balsami naturalis nostri, tanquam quid contrarium vitæ, adeò mordax & causticum cum peculiari quadam malignâ qualitate, ut habeat potentiam urendi, & causticandi, doloremque excitandi, non secus ac caustica potentialia, ut scribit *Joh. Faber Monspel. in Chirurg. Spagyr. p. 142.* Hoc *Spagyricorum* effatum non esse planè de nihilo, etiam iis patet, qui vel à limine tantùm *Chimiam* salutârunt. Spiritus enim acres, sal Ammoniacum sive volatile & fixum, cum excrementis nitrosis & tartareis in corpore nostro, naturaliter etiam in optimè sanis reperiri, ex sangvinis, viscerum, & urinæ destillatione satis fit manifestum. Quod si itaque hæc salia ex viscerum debilitate, vel diætæ errore p. n. augeantur, volatiliaque cum fixo nitroso, vitriolato & tartareo misceantur, à mitioribusque succis seclusa per se exsistant; quid aliud habebimus, quam sal mixtum, corrosivum, qualiter ex mistione Nitri & Armoniaci, sive nitri & vitrioli fieri conspicimus? Hisce infallibilibus & ad oculum claris *Chimiæ* documentis fidem derogaturus, mirabiles casûs à fide dignissimis authoribus in Praxi observatos attendat. Sic *Clariss. Dn. D. Dôringius l. 1. de Medicin. & Medic. p. 109.* refert, *quendam Juris Licentiatum* urinam reddidisse, à quâ, ceu spiritu vitrioli, linteamina erosa fuerint. *Idem* in viro quodam Scorbutico, hæmorrhagiâ narium per intervalla laborante observavit, linteamina, quibus sangvis exceptus fuerat, ab eo corrosa

fuisse

fuisse. *Schenckius* etiam *observ. l.3. sect. prior. observ. 62.* æruginosam bilem sæpè vomitu adeò acrem rejectam esse, ut pelves argenteas colore floridissimo infecerit, & acrimoniâ ita eroserit, ut nec lotura illum delere, nec fortis frictio cassare potuerit, attestatur. Similia exempla ab aliis quoq; enarrantur, & etiamnum moderno die in Praxi sæpiùs ocurrunt. Quæ sententia si rectè attendatur, non multùm à *Galenicorum* opinione aberrare videtur: siquidem & ii ipsi salem corrosivum in atrâ bile abundare, haut obscurè innuunt, ut apparet ex *Galeno lib. 2. de nat. facult.* ubi inquit: *quod bilis atra sit fex usta & admodùm calida, adeò ut carnem quasi urat, liquet, & corrumpat.* item *l. de. atr. bil.* eã aceto acerrimò, vini fecibus, oleiq; amurcæ comparat, additq;, quod quibus corporis partibus pura impermistaq; adhæserit, eas prorsùs exedendo ulceret. Et *14. meth. med. c. 9.* adnectit: *Sunt Medici qui mihi eum* (crassum sanguinem) *non absurdè videntur feci, quæ super vini doliis hæret, adsimilare. Ergò hic humor, ubi ampliùs incaluerit, aut propter putredinem, aut febrem phlegmonodem, nigram efficit bilem, quam nullum animal, ne ipsi quidem mures gustaverint; terra quoq; raditur ab eâ: ac partes quæ raduntur, omnes in altum attolluntur.* Idem tandẽ *Hippocrates 4. aph. 22. 23. 24.* confirmat. Quamobrem si rem ad vivum resecare velimus, *Hippocratici* cum *Hermeticis* hîc diversis tantùm appellationibus dissentire, re ipsâ verò planè unum idemq; sentire, videntur: quicquid enim illi per humores declarant, hi per salia in humoribus contenta clariùs ante oculos ponunt.

CAUSÆ MEDIATÆ NATURALES sunt epatis & lienis intemperies calida & sicca, quæ sanguinem adurit, copiosam bilem generat, & tandem in atram vertit. *Symbolum suum etiam hîc confert*, ventriculi nec non intestinorum, sive nativa, sive ex crapulâ, & enormi diætâ, introducta imbecillitas. Communes enim hi totius corporis famuli, si â justo temperamenti statu dejiciantur, fermentatioq; interturbetur, partes excrementitiæ & tartareæ incibo & potu non rectè separãtur; sed chylo crudo immixta ad reliquas partes deferuntur, progressuq; temporis ulteriùs exaltantur, exuruntur, variisq;

obstructionibus, succoq; acri & corrosivo materiam satis aptam subministrant. Non omni caret culpâ dispositio hæreditaria, quâ atræ bilis seminia statim cum sanguine & lacte materno in sobolem derivantur. Vidit hoc *Zacut. Lusitan.* qui *l.1. de Prax. Med. admirand. observ. 115.* refert, pauperculam mulierem exulceratum cancrũ in mammillâ per multos annos gerentem, in lectulo noctu cum tribus filiis, omnibus simili contagio infectis, decubuisse.

NON-NATURALES sunt, quæcunq; melancholicum ac fervescentem humorem, sive retorridum sanguinem generant, & communiter *ex quatuor classibus* dijudicantur.

EX ADSUMENDIS sunt cibi vitiosi, crassi, & calidi, qui facilè succum melancholicum suppeditare possunt, ut panis furfuraceus, lentes, legumina, carnes fumo induratæ, caro cervina, bubula, hircina, aprina, leporina, suilla, cochlearum, limacum, & grandium marinorum piscium. Acida item, salsa, acria, ut acetum, piper, sinapi, allia, cepe, & arida, torrida, assa, frixa, & vehementer exsiccata, cæteraq; humorem atrabilarium coacervantia. Hisce clarè *Galen. 2. ad Glaucon. c. 10 adstipulatur: In Alexandria*, ait, *plurimùm cancer generatur ob victûs rationem. Comedunt enim farinam elixatam & lentem, & cochleas, & pura salita, & nonnulli ex ipsis carnes asininas, & alia quædam, quæ crassum humorem generant.* Porrò *in malo hoc ovo excludendo non minimam sustinet culpam*, potus crassus & feculentus, vina potentiora crassa, nec non austera, item aquæ tartareæ, & spiritu lapidifico præditæ; quales *in Saxoniâ* circa *Schöningensium urbem* inveniuntur; quæ licet satis sint claræ & limpidæ, spontè tamen tophosam & tartaream materiam, in vasis & canalibus per quos feruntur, deponunt. Illa materia tophosa insipida quidem est, insignem tamen corrodendi vim in recessu habet, quod colligitur ex piscibus in dictâ aquâ servatis, quibus & oculos corrodit, & carnes brevi temporis spatio exteriùs consumit. Hinc etiam in illo loco etsi incolæ à potu istius aquæ sibi valdè caveant, citiùs tamen quàm alibi ægros cancro, similibusq; affectibus laborantes invenire licet.

EX AGENDIS sunt motus violentus, nimia quies, immodicæ vigiliæ, animi pathemata, ira præsertim, mœstitia, & vehemens sollicitudo. EX FORIS INCIDENTIBVS aër, qui si nimis calidus & siccus, prout *Gal. 2. ad Glaucon. c. 10. in Alexandriâ* illum describit, fuerit, humores adurit, fundit, & versus cutem movet. Hinc in nostrâ *Germaniâ*, ubi constitutio aëris alia, hic affectus, *teste* etiam *Galeno*, rarissimè conspicitur: nisi forsan vel diætæ error, vel cibi fumo indurati & salsi, ut in locis maritimis, vel aquæ tartareæ ansam ad eum producendum, obtrudant. EX RETENTIS ET EXCRETIS sunt alicujus consuetæ evacuationis, ut præprimis menstruarũ purgationum, hæmorrhoidumq; suppressiones & obstructiones. Quemadmodum enim *teste Hipp.* fluxus hæmorrhoidum superveniens, morborum melancholicorum solutio est: ita & intempestiva suppressio eosdem reducere, accedenteq; adustione, & ipsum cancrum efficere potest.

PRÆTER-NATVRALES quoq; sunt promptissimi huius infortunii fabri, ut scirrhi. Hi quidem oriuntur ex humore melancholico. Quod si verô diutius durent, aut sinistrè tractentur, in cancrum abeunt, ut liquet ex sæpius allatis *Galeni* locis. *Tumores & ulcera maligna*, in quibus humor atrabilarius propter malam & virulentam partis dispositionem corrumpitur, in genuinum etiam carcinoma facessere posse scribit *Victor Trincavell. l. 3. consil. 110.* *Varices item* in cruribus, aliisq; partibus, si intempestivè supprimantur, idem dant effectum; plerumq; enim, inquit *Mercatus Instit. Chirurg. l. 1. inst. 7.* cancrosi tumores adnascuntur, quibus vel menses, vel hæmorrhoides, vel varices suppressæ sunt. *Febri quartanæ* tandem hujus calamitatis scaturiginem adscribir *Fernel. de extern. corp. affect. l. 7. c. 3.*

DIFFERENTIÆ notatu dignæ sunt. RATIONE GENERIS, omne carcinoma mali moris; in specie tamen alterum altero benignius esse, *Gabriel. Fallop. tom. 3. c. 19.* egregiè testatur. RATIONE SVBIECTI alius cancer partes superiores, alius inferiores, alius internas, alius externas occupat. Et hinc etiam alius dicitur manifestus, alius occultus. Qui

quidem propriè occulti (*quos Hippocrates non curare tutius esse ait*) sint vocandi, inter authores non convenit. Nam per eos, omnes ferè antiquos Medicos, non ulceratos intellexisse, *Fuchsius* adserit. *Aetius* verò per occultos ulceratos accipiendos esse, autumat. *Galeni* decisionem si respiciamus, eum etiam veterum opinionem sequutum, & occultos eos, qui sunt sine ulceratione, vel absconditos, hoc est, non apparentes nominâsse, constat. *Mercatus Instit. Chirurg. Galeni* mentem explicaturus ita infit: *occulti sunt non ulcerati, i.e. qui intra cutem jam duritiem habent exulceratam; cæterum cutis extima citra noxam & ulcerationem apparet.* Idem tamen *l. 1. de aff. mul.* à se ipso dissentire videtur, quando in hæc prorumpit verba: *Mihi autem arrisit magis eorum sententia, qui tenent, per occultos, Hippocrat. intellexisse ulceratos ubicunq; sint, & non ulceratos si in recondita corporis sede immorentur: illud quidem, quoniã ea operatio, quæ ulceratos exagitat, multùm excruciat, & debilitat ægrotantem, nec finit morbũ, cujus origo jecur est: hoc verò propter loci commoditatem ineptã operationi manuum, & fluxum sanguinis, quem compescere in abditis corporis sedibus perdifficile est.* Verùm in his diversissimarum opinionum biviis, *Amat. Lusitan. in Curat. Med. 32.* sententia, præ cæteris mihi probatur, qui *Galenum* per occultos non solùm eos, qui absconditi sunt, & non apparent, sed & eos qui apparent, & sine exulceratione sunt, intellexisse, certò adfirmat. RATIONE CAUSÆ videlicet atræ bilis vel mitioris, vel acrioris, alius est cũ vel sine ulcere; cum tumore magno vel parvo; cum dolore & cruciatu graviori vel leviori: cũ calore, & duritie intensiore, vel moderatâ &c. RATIONE TEMPORIS, aliꝰ cancer est incipiens, alius confirmatus: alius recens, alius inveteratus. Circa æstatis finem, & per totũ autumnũ, *item* in ætate consistente & declinante, præ reliquis hæc homines invadit calamitas.

SIGNA (*quæ universæ Medicinæ teste Galen. l. 1. de const. Art. c. 15. fulcrum præstant*) DIAGNOSTICA, INCIPIENTIS cancri plerumque obscura sunt, *Tract. 7.* inquit *Almansor.* Et *Galen. 14. meth. med. c. 9.* refert, cancrum incipientem difficulter cognosci, quoniam primò habet accidentia

mi-

mitissima & confusa. *Conjecturantur* autem exinde, quòd vel patientis parentes cancrosi fuerint, vel quòd corporis habitus melancholicus, & ante acta vita, vel diæta huic malo generando apta, præcesserit. Quando verò carcinoma legitimum generari debet, exoritur primò tuberculum, ciceris magnitudinem referens, quod ubi incrementū sumsit, fabæ magnitudinem æquat. Quare nihil miri est (*inquit Galen. l.14. meth.*) si vulgus tunc lateat, non secùs profectò quàm stirpes, quæ è terrâ jam exeunt; quoniā hæ quoq; peritis tantùm agricolis agnoscuntur. Postea verò crescendo, indies ita sese attollit, ut mox ad juglandis, deinde ad ovi, deniq; ad meloponis molem & figurā accedat, & tam vehementiā adferat symptomata, quæ cunctis evidentiā esse possunt. AUGESCENTIS signa clariora, & manifestiora evadunt, quia tumor adest durus, inæqualis, immobilis, livescens, nigricans, aliàs tamen magis, aliàs minus, pro materiæ adustæ & corruptæ diversitate. Dolor licet quidem aliàs minor, aliàs verò major sit, nunquam tamen planè abest; sed latè diffusus, & pulsans sentitur. Circum circa in orbem quasi venæ crasso nigroq; sanguine refertæ, & sicuti cancri animalis pedes exaltatæ, modò apparent, modò in profundo latitant, & delitescunt, quo de confer *Fallop. tract. de ulc. c. 7.* Plura signa à *Galen. l. de tum. p. n. & 2. ad Glauc. c. 10. Hipp. de morb. mul. l. 2. sect. 5. Cornel. Cels. l. 5. c. 28. Paul. Æginet. l. 4. c. 26. & l. 6. c. 45. Aët. serm. 16. c. 43 Ludov. Mercat. de mulier. affect. lib. 1. c. 17.* & ab aliis classicis autoribus traduntur, quæ apud illos videri queunt. Et *cancer* hic coërceri vix potest, quin brevi exesâ cute prorumpat, fiatq; *exulceratus*, ubi non modò prædicta adsunt signa, verùm etiam ulcus visu horrendum, corruptæ carnis speciem repræsentat, cum labiis duris, crassis, tumidis, inversis, sublevatis, & cavernosis. Color hujus ulceris inter rubrum & nigrum medius est, utpote fuscus, plumbeus, aut lividus; & ita malus, ut intuentibus non rarò horrorem incutiat, nauseamq; excitet. Saniem emittit exulceratus fœtidissimam, & copiosissimam, aliquando tenuem & aquosam, aliquando nigram aut fulvam. Vapor exspirat naribus gravis. Inveterato & summè putrido, febris lenta superve-

 nit

nit: Adest fastidium, inquietudo, animi angor & frequens animi defectio, imprimis si mammas pro subjecto habeat. Exesis deniq; & corrosis venis, sæpè sanguis profunditur, carnesq; vicinæ depascuntur, ut mors maturiùs obrepat, miserando ægoti statui exoptatum finem additura.

Cæterùm scirrhus cum cancro quandam habet cognationem, facilè tamen utrumq; poterit distinguere, qui non *finistro* natus est *Appolline*. Etenim 1. *Cancer* dolorem habet pungitivum periodicum, qui cessat & redit; ut in ulcere videantur esse acus transeuntes, ex unâ parte, in alteram: in *scirrho* verò dolor planè nullus, vel tantummodò obtusus sese offert. 2. *Cancer* plerumq; ex se incipit, subitoq; incrementum sumit, ita ut ex minimâ quantitate, in maximam molem excrescat, humorq; majori ex parte in venis residet, quæ repletæ cancri pedes & brachia referunt: *Scyrrhus* autem ut plurimùm ex aliorum tumorum permutatione, originem habet, & humor qui scirrhum efficit, non in venis præcipuè, sed in spaciis & poris partium residet, unde venas tardiùs quàm cancer incrementum sumere, ait *Sennert. Prax l. 5. part 1. c. 20.* 3. *Cancer* in partibus carnosis, raris, & fungosis; *scirrhus* verò, in pluribus durioribus partibus exoritur. 4. Licet *uterq;* ex melancholico humore fieri possit; *scirrhus* tamen ex melancholiâ naturali ortum habet; *cancer* autem ex præternaturali, quæ etiam dicitur cum additione, bilis atra exquisita, & à priori differt, sicuti fex usta à non ustâ. Fit enim vi caloris intensissimi adurentis, & perducentis, absumptis partibus liquidioribus, ad ultimum siccitatis gradum, qui cadere potest in humores, id quod autores incinerare vocant, unde etiam aciditate tantum acquirit acrimoniæ, ut nō modò carnem ulceret & erodat, verum etiam terram, tanquam aqua fortis fermentet.

PROGNOSTICA supersunt, ubi primo statim limine consideratione illa dignissima, ac diu agitata controversia sese obfert, *an nimirùm cancer sit morbus curabilis?* quâ de autores minimè ὁμοψήφους esse, constat. Verùm quæstionis hujus decisio ex sequentibus habebitur. RATIONE GENERIS

RIS omnis cancer morbus gravis, periculosus, & difficilis est. Nam magnum, inquit *Mercat. in Institut. Chirurg.* solet cancer facessere negotium; quia à toto genere morbus est gravis & periculosus, quod mitiora contemnat remedia, & majoribus exacerbetur, & fiat particularis elephantiasis: probat eventus, nullam, aut difficulter admittere curationem: quia, si radicitùs evellas, vel ulcus remanet cancrosum & immedicabile, vel malum revertetur, aut in aliam partem decumbet, ubi majus & gravius accersit periculum, & ob id dictum est ab *Hipp. 6. aph. 38.* citiùs perire eos, qui curantur. *Avicenna* etiam facit mentionem mulieris, cui alterâ mammillâ cancro affectâ, & radicitùs exstirpatâ, altera cancrosa confestim evasit. RATIONE SUBJECTI incurabilis est, si nobiliorem aliquam partem occupet, & in profundo lateat, ut in palato, sede, utero, intestinis & similibus. De hisce inquit *Nicolaus Rocheus*; *Equidem scio omnes, qui hujusmodi cancros curare tentârunt, magis illos irritasse, & brevi homines interemisse. Nam & qui cancrum in palato constitutum, & in sede, & in sinu abscondito muliebri vel usserunt vel secuerunt, non potuerunt ulcera ad cicatricem perducere, & homines in curâ afflictos ac maceratos usq; ad mortem colliquârunt; qui si nullam curationem adhibuissent, longiore tempore vitam cum minori molestiâ transegissent. Tales igitur cancros nullo modo curare tentemus.* Quod si verò in summâ corporis parte consistit, curabilis est, & quidem in initio, cùm adhuc exiguus, faciliorem admittit curationem h.e. sectionem, vel ustionem, vel aliam mortificationem, sicque illum unà cum omnibus suis radicibus, i.e. venis circumstantibus, atrabilario humore repletis, quæ *Galen. 2. ad Glaucon. c. 10.* radices dicuntur, exscindere & penitùs exstirpare conducit, modò sit in parte sectionem & ustionem admittente. Sed cùm jam major evaserit, curatio Medico etiam peritissimo fit periculosæ plenum opus aleæ.

RATIONE CAUSÆ curatio est in ambiguo: quoniã omnes exulcerationes ex atrâ bile insanabiles & incurabiles *Galne. lib. de atr. bil.* pronunciat; maturè tamen si Medicus vocetur, spem de recuperandâ sanitate ægroto adferre poterit. Exulcera-

ra-

ratio verò si sit inveterata, & confirmata, oleū & operam feri perdet, quicunque medicamentis periculum facere tentabit. Locum itaque tum tantùm habet curatio palliativa, lenitiva, augmentumque ulteriùs prohibens. Æthiopem etiam lavabit, qui serpentem hanc vomicam ex primis generationis principiis implantatam eradicare conabitur; licet enim semel curetur, denuò tamen repullulascit.

INDICATIONES, à quibus *Galen. 2. meth. med. c. 7.* vera methodus medendi inchoanda, desumuntur vel à causis cancri mediatis, vel immediatâ seu cancro ipso in parte aliquâ hærente. Causæ videlicet mediatæ, indicant atrabilarii in corpore redundantis humoris remotionem, immediata verò sui & tumoris cum, vel sine ulcere, cancrosi eradicationem, dolorisque lenitionem. Materia remediorum desumitur ex usitatis fontibus,

CHIRURGICO. VENÆSECTIO juxta *Galen. l. 2. c. 10. ad Glaucon.* statim administranda est, si ætas & virtus permiserint: quoniam non fit carcinoma, nisi sangvis crassus, impurus, limosus, & vitiosus in toto corpore abundet. Potest itaque cùm revulsionis, tùm derivationis gratiâ, institui. Salvatellam, quam alii in affectibus melancholicis aperiendam præscribunt, *Nicolaus Rocheus* hîc commendat. A mensium obstructione, si cacoëthes foveatur, è saphenâ pedis sangvis mittendus. In occulto etiam cancro, & ubi spes de perfectâ curatione est nulla, phlebotomia per longiora intervalla repetita augmentum tumoris prohibet, doloris vehementiæ non leve levamen allatura. Et longè præstantiùs & utiliùs impedit augmentum FONTANELLA, è directo partis affectæ aperta, per quam facilè exspiret, quod futurum est, non solùm augmenti, verum etiam exulcerationis causa. Phlebotomiæ succedit SCARIFICATIO, quâ de *Galen.* videatur, & *Hipp. lib. de ulc.* consulatur. *Fel. Pater, tom. 2. Prax. p. m. 843.* scarificationem, in distantiore vel viciniore loco vel revellendo, & derivando extollit in plethoricis, præcipuè viribus constantibus, dum adhuc crescit cancer, ut augmentum illius aliquo pacto inhiberi possit. Debet autem scarificatio nunc levior, nunc

pro-

profundior, nunc cum, nunc sine cucurbitulis fieri, pro ratione indicantium, & prout materia evacuanda superficialiter vel profundè hæret, aut plus sanguinis evacuandum est. FRICTIONES & LIGATURÆ humores fluentes revellunt, & intercipiunt, & interdum utilissimè adhibentur. HIRUDINES prout plures vel pauciores, venis majoribus, vel minoribus applicantur, venæ sectionis vices in debilioribus præstant, ut jamdudum *Avicenn. 4.1.c.22. & Plin.l.32.c.10.* allegante *Zacuto Lusitano 1. hist. princ:* 4: profundiorem extractionem per sanguisugas experti fuerunt: Hinc etiam ad hæmorrhagiam sistendam, *Galen. de Hirud.* peculiaria præscribit & admovet emplastra. Cavendum tamen, ne in earum electione & usu error committatur, de quibus *authores Chirurgici* plurimis agunt. *Ambros. Pareus de tum. contr. nat. c.30.* Hirudines exulcerato cancro, quâ parte dolor punctorius acriùs urgebat, applicuisse, & magnos cruciatus sedâsse, legitur. *Franc. Peccet. 1. c.30.* hirudines hæmorrhoidibus si eæ fuerint retentæ, cum fructu adhibuit. Et minùs tuta est apertio venarũ hæmorrhoidalium phlebotomo facta, quam sæpè male cessisse, *Crato consil. 205. & Dionisius Daza l.3. de Apostem. c.187.* meminerunt. Quod si hæc omnia nil prodesse comperias; extremis morbis, extrema remedia, juxta *Hippocratis* monitũ deberi scias, succedaneam FERRI & IGNIS operam imploraturus. Cautè tamẽ & cum maximâ circumspectione, ad opus te adcingas: Nam aut non sanescunt ægroti, etiamsi feliciter cedat sectio, ut *Celsus* prædixit; aut fluxu sanguinis periclitantur; aut in cancrosum ulcus degenerat affectio, vel in maniam, paralysin, animi deliquiũ, aliaq; gravissima mala cõmigrat humor, è loco ad quem fluere solebat, repulsus. Quamobrẽ non occultos, non internos ac infartos, non propè membrum princeps, neq; ulceratos; sed solùm parvos cancros, quos vulgus caratanes, qui medii quasi sunt inter cancrum & scirrhum, sectione exstirpare *Mercatus* jubet. Modum mammillarum cancrum secandi, *Incomparabilis Dn. D. Rolfinckius, Præceptor & Promotor meus æviternum observandus, in ser. operat: præcip. chirurg. part.2. c.* . talem proponit: *Liganda tota mammilla, firmiter constringenda filo subtili, & comprimenda: animadvertenda vasa per quæ*

 cancer

cancer nutrimentum suum accipiat: totaq; mammilla excindend est, ferroq; candente hæmorrhagia prohibenda. Operatio hæc cum ancipiti successu. Metuendũ enim ex hâc hoc incommodi; in aliis locis scilicet in alterâ mammillâ, vel utero repullulet. Qu sæpè fit, & si accidat pro desperatâ relinquenda. Ulceratum labris felici cum successu se amputasse *Schenckius observ.* 41 gloriatur. *Galen. 14. meth. med. c. 9.* in sectione, hæc nota digna monet: Ubi verò totum, *inquit*, quod vitiatum e prorsus excideris sic, ut nulla supersit radix, sines effluere sa guinem, nec properè eum inhibebis: imò premendo potiu quæ circum sunt, venas, exprimes ex his crassiorem sangu nẽ: mox aliis ulceribus similes curabis. Post abscissionem, u vel pelliculæ, vel folliculi, aut tumoris aliquid in ulcere r mansit, ustione opus est. Alii scissionem & ustionem per vic tantisper repetunt, dum tota cancrosa pars fuerit mortifi cata. USTIO autem instituitur vel ferro candente, vel m dicamentis causticis. *Mercatus* caratanes aliquando curat vidit, infixo cauterio uno vel duobus, & immisso grano arse nici, & cooperto vulnere butyro vaccino, quo ferè pauc horis aut diebꝰ decidit glandula universa, aut tumor, si non dum cancri naturam attigerit. Summâ tamen cautione a ustionem accedamus, ne partes circumstantes inflammentu & humorum confluxu occupentur; quod incommodum d vitabitur, si loca cancrum circumambientia, *unguento defen sivo, utpote ex Bolo Armen. & Terr. sigillat.* muniantur.

PHARMACIA mandat, ut humores vitiosi & supe flui, & qui huic morbo suppetias ferunt, præparentur atq; ducantur, viæq; probè priùs aperiantur, juxta *Hippocrat.* *aph. 10. τὰ σώματα χρὴ ὅκȣ ἄν τις βȣ́ληται καθαίρειν, εὔρο ποιέειν.* PRÆPARANTIA sunt, syrup. de pom. fumar. simp. & compos. è succ. borrag. bugloss. de Lupul. Ceterach. By zantin. Mel Rosar. Sed hîc animadvertendum, quod *Attenu antia & Incidentia* commodè admisceri possint, ut Aceto Beton. Melifs. Scolopendr. quibus Liquirit. Passul. quia si citatem retundunt, non immeritò adduntur. Et *ut meliorem penetrationem acquirant,* oxymel in paucâ quantitate, vel suc

cum Citri depuratum, sive spirit: ⊕li ♂tis adjicere, non est inconveniens. Nec postremas hîc partes *Chimica Digestiva & Aperientia* obtinebunt, cremor nimirùm & crystall: ♀ri, Epatic. rubr: ♀r. ⊕lat. & Croc. ♂tis aperitiv. Hisce omnibus præeminere videntur, crystall. ♀r. ⊕lat: ☿niales, *Excellẽtissimi Dn. D. Michaelis, P.P. in Academiâ Lipsensi celeberrimi, Hermetis decantatissimi, Præceptoris & Fautoris mei ætatem colendi:* crystalli enim isti non solùm egregiè digerunt & aperiunt, sed etiam sanguinem optimè purificant.

Convenienti humorum præparatione peractâ, CATHARTICA primò benigna, dein & fortiora quàm maximè prosunt. Ubi statim inter alia summo ab autoribus celebratur encomio, serum lactis caprini, in quo cuscut: epithym. polypod. Senna & similia infundi possunt. Stæchad. Arab. & thym. idem præstare ac Epithym. refert *Prævot. de mat. med. p. 288. Composita* etiam à Medicis Practicis maximo cum emolumento adhibentur, ut syrup. de Epithym. *Mes.* Elect. Diacatholic. Diasenn. *Nicol.* Extract. Ellebor. nigr. Confect. Hamech. Pil. Ind. *Mes.* de fumar. Hier. Picr. *Galen.* item Aggregativ. Extract. quoq; Lap. Lazuli *Hartmann. Prax. Chimiatr.* & extract. Panchymagog. *Crollius in Basilic. Chimic.* laudibus extollunt. Hisce interdum aliquot grana ☿rii vitæ vel dulcis, vel croci metallor. immisceri queunt. ☿ ruber per ⦶ & ⊖ ex capite mortuo aq. fort. sublimatus pro arcano deprædicatur.

Et cùm humor peccans unicâ vice educi nequeat, sæpiùs per vices præparantia & purgantia repetere, utile erit & proficuum: imprimis sedulò studendum, ut si morbus isthic ex suppressis evacuationibus consuetis, originẽ suam habeat, simùl illæ retentæ evacuationes, tùm in viris per hæmorrhoides, tùm in fæminis, quæ sunt ætatis congruæ, per menses, decenti modo provocentur. In quem finem *Vina Medicata* utilissimè propinantur. Porrò diligenter cavendum, ne nova in corpore materia gignatur, quod fit, si reliquiæ humoris peccantis corrupti, prorsùs absumantur, & interiores partes, ut cor, epar, & lien coroborantur, juxta *Galen. 14. meth. med. c. 9. Communis cancri curatio est, ut humorem unde viti-*

um est natum, ilicò vacues, simili vacuationis genere ei, quæ in aliis tumoribus supra est comprehensa: mox prohibere, potissimùm si fieri potest, ne de cætero ejusmodi succus in venis colligatur: Sin id fieri nequit, saltem eum omninò ex intervallis vacuare, & simul particulam firmare, ne quid humorum redundantiæ ad eam confluat. Cui scopo inserviunt, serum lactis caprini chalybeatum, Decoct. Rad. Chin. ut & CORDIALIA, EPATICA, SPLENETICA *pro intentione Medici*, insignem hîc præbent usum, quorum uberrima seges in libris Medicorum Practicis demetenda est.

Posthæc BEZOARDICA & DIAPHORETICA utilia sunt, ut Decoct. Chamædr. Lign. Quajac. Chamomill. fumar. sassafrass. sarsaparill. *correct.* Rad. Cichor. Endiv. additis aliquot guttis spirit ⊖li *Item* Terr. sigill. off. de cord. cerv. Bol. Armen. Rad. contr. Cherv. Theriac. *Andromach.* Mithridat. *Damocrat.* Confect. Alcherm. Pulv. Pannon. *Cæsar.* rub. Bezoard. *Sennert.* cum aq. borrag. scord. galeg. Card. Bened. Cordial. Saxon. Theriacal. aliisq; adpropriatis in formâ potiunculæ exhibita. *Spagyri* tradunt C.C. s. ign. calcinat. spirit. C.C. Lign. Sanct. sanguin. Human. flor. sambuc. Card. Bened. Mistur. simpl. ⊖lat. 🜔nium Diaphoret. ⊖ Absynth. fumar. C. C. volat. Card. Benedict. Bezoardicum Joviale & Minerale cum vel sine ☉, in exiguâ quantitate magnas obtinent vires. *Nec desunt, qui* carnib. Therorum, sive viperarum, summas hîc laudes adscribunt, quia omnem venenositatem ad cutem expellere, & occultâ qualitate, causæ carcinomatis proximæ resistere creduntur. In quorum Therorum defectu, Trochisci de viperâ quales *Patavi* præparant, substituuntur. Et ad virium conservationem, omnis generis CONFORTANTIA tàm interna, quam externa, possunt administrari.

Sed si hisce prædictis tumor non cedere vellet, *Galenus l. 14. meth. med. c. 9.* INCIPIENTI CANCRO REPELLENTIA, quæ non sunt nimis levia, quia nihil agerent, nec nimis valida, quoniam nimis constiparent, sed MEDIOCRIA adplicat, ut ipsius augmentum impediant. Conveni-

veniunt in hunc usum, omnes Intybi species, solan. Hyperic. Agrimon. ormin. sylvestr. succ. Rosar. Plantag. Polygon. lactuc. fol. & capit. papaver. Mucilag. sem. Cydon. Psyll. Rad. symphit. major. *Modum utendi varium vide sis apud Gabriel. Fallop. c: 19.* Emplastrum quoq; ex Ammoniaco aceto dissol. multùm hîc valere scribitur. AUGESCENTI verò CANCRO, REPELLENTIA adponenda sunt VALIDIORA, ut cadmia, spodium, pompholyx, calx, lythargirum, & reliqua metallica, priùs exusta & pluries abluta, quæ, postquam acredinem illam, & summam quam habent caliditatem, tùm per ustionem, tùm per abluitionem amiserint, in pulverem redacta, cum *supradictis repellentibus* in mortario plumbeo agitantur, & additâ ceræ s. q. ad consistentiam unguenti lento igne commiscentur. Plumbum etiam maximoperè ac omnibus commendatur, quocunq; etiam modo administretur, unde omnia medicamenta, quæ cancro adhibenda, in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo optimè conficiuntur, quô de *Galen. l. 9. de simpl. med. fac. cap. de plumb.* quod molybdos Græcè eidem dicitur, attentè legatur. Unguent. de plumb. & Empl. Diapompholyg. hîc ferè primas tenent.

Nonnulli etiam validiùs SICCANTIA & ADSTRINGENTIA in usum omninò trahi posse opinantur, quorum uberiorem catalogum *Plater. tom. 2. Prax. c. 17. p. m. 846, 847,* recenset. Cùm verò interdum parùm hisce efficiatur, SPECIFICA, & occultâ qualitate agentia, quæ triplex vegetabilium, animalium, & mineralium regnum exhibet, succenturiatam operam præstabunt. EX VEGETABILIBUS ceterach, scrofular. Geran. Robert. cancrosanum ob id dictum, quod quibusdam *Myrrhis Dioscoridis* esse putatur, *Guido de Cauliac. tract. 4. de ulc. c. 6.* summoperè laudat. *Valescus* polytrichum, quod divinum in cancro sanando vocatur, & capill. ♀, Gentian. Pilosell. maximè commendat. *Dioscorides* Galiops. s. urtic. mortuam, & Dracuncul. major. *Galen. l. 6. de simpl. med. fac.* extollit. *Gabriel. Fallop.* Virg. aur. sarmentos. & *Forest. Chirurg. observ. 6.* Verbasc. i. e. Taps. Barbat. probatur.

tur. *Theodoric. Chirurg. l.3. c.6.* cherefol. cum melle tritum, & lolium cum modico sale & aceto mistum, cancrum & depascentia vulnera curare scribit. Nec infimo subsellio ponit Centinod. *Arnoldus*, & Rutam *Serapio*, quam cum passulis miscet, & carcinomati multo cum juvamine adplicat. Folia etiam mollia fraxini, & lentes in aceto coctæ cancro satisfecisse leguntur. EX ANIMALIBUS cancri fluviatiles, cochleæ, & virides ranæ, carnes suas exhibent, de quibus *Sennert. Prax. lib.5. part.1. c.20.* uberiùs agit. Anser & Anas obferunt sangvinem calidum, cujus usum *Aët. serm. 16. c.47.* docet. Asinus lac præbet, quod leniendæ humoris cancrosi acrimoniæ accommodatissimum esse, dicit *Ambros. Par. l.6. de tum. contr. nat. in gen. c. 28.* Grus caput & ventriculum suum, furno siccatum & pulverisatum, cancro superaspergit, eique levamen addit, teste *Petr. Bayr. de Apostem. tract. 1. c. 7.* Bufo etiam exustus, & vipera exuviis suis pro cancrosi affectûs salute excubant, prout historiæ gravissimorum Medicorum experientiâ probatæ palam faciunt. Pullos denique gallinaceos, & catulos canum vel felium recens natos, in longum sectos, & statim impositos, perniciosum istud malum sanâsse, experti fuerunt *Maurit. Cord. in lib.1. Hipp. de mul. comm. 7. & Ambros. Pareus l. 6. c.30.* EX MINERALIBUS *Roland. l.1. c.20.* Alumen Zuccharinum, cum succo pimpinellæ distemperatum, & cancro superimpositum, honorificè extollit. *Christophor. Guarinon. consult. med. 403.* Saphyro, atque Smaragdo, ad cancri curationem multùm laudis tribuit. Arsenicum quoque tanquam cancri specificum, omnibus antestare jactatur; cùm verò nimis corrosivum sit, electum, præparatum, & cum aliis adpropriatis mixtum usurpari debet. Et ex omnibus & singulis hisce simplicibus, ad utendi commoditatem composita arte fieri possunt plurima, quorum formulas impræsentiarum adnectere supervacaneum est.

CHIMICA silentio hîc prætereunda non sunt, quæ in curatione carcinomatis egregiam præstant operam, ut Magister. ocul. 69. in aq. Persicariæ sæpiùs exhibitum. ol. item

de

de ſtibio & de fecibus vini aut aceti, vel de ⊖libus, aut ferro, vel ex plumbo, criſtas attollere, & cancro prodeſſe; ſcribit *Ludov. Mercat. de comm. mul. aff. l.1. c.17.* quorum extractionem latè docet *Andernac. tomo ejus operis 2. fol. 722.* Et *Hartmann. in Prax. Chimiatr.* oleum Arſenici fixi in aq. plantaginis diſtemperatum, & pulv. benedict. & oleum fuliginis magnifacit. *Keslerus* exteriùs oleum ♁nii, Arſenici, ⊖ fuliginis, item Arſenicum fixum, cum rad. Aronis & fuligine mixtum, apprimè conducere putat. *Sunt, qui* magno cum fructu Balſamum & ⊖ Saturni exhibent, quod peculiari virtute ulcera maligna & cancroſa mitigare, & curare credantur.

ANODYNA ſuo loco Cancro deberi notum eſt; cum dolorem excitare incipit intenſum. Etſi quidam ſint, qui dicunt, quod oleaginoſa meatus obſtruant; tamen adeò non obſtruunt, ut diſſolutionem & exhalationem impediant. Ad dolorem igitur leniendum, cancrique furorem reprimendum, *Chriſtophor. Gnarinon. conſult. Med. 317.* oleum chamæmel. lumbricis terreſtribus incoctis, admixto etiam Roſaceo, & ol. ex vitellis ovorum laudat. *Aët. ſerm. 16. c. 48.* cataplasmatis ex melilot. ſem. papav. cum paſſul. trit. & paululùm decoct. ac ſubinde cum ovor. luteis ſubact. & commiſt. effectum prædicat. *Paul. l. 7. c. 67* Malv. Alth. in mulsâ ſubact. & colliquat. cum pauco roſaceo, efficaciſſimas leniendi vires in exacerbationibus habere, atteſtatur. Et ingentem horum anodynorum farraginem *Franc. Peccet. c. 30.* proponit, quam ibi videre licebit. NARCOTICA cum grano ſalis hîc in uſum trahenda ſunt: *Tandem* mortificato cancro, quod per bonitatem carnis, & carentiam virulentiæ, & fœtoris cognoſcitur, curetur ulcus, more ulcerum concavorum.

SYMPTOMATA *ultimo loco*, ut febris, vigiliæ, inquietudo, animi deliquia, & ſimilia tractanda & auferenda eſſent. Verum enim verò, cùm de his autores Practici non ſolùm prolixè agant, ſed & curationem adjungant, avidum horum indagatorem ad illos remittam, ubi aviditati ſuæ abundè ſatisfacere poterit.

DIÆTA inſtituatur, quæ atræ bilis proventum infringat.

gat. AER eligatur purus, ſalubris, temperatus, & ſemper æquabilis. VICTUS ſit attenuans, modicè refrigerans, & humectans, ut ptiſana hordeacea, & in juſculis malva, ſpinachia, lactuca, oxalis, portulaca, cichorium, borrago, endivia, viola Martia, 4. ſemina frigida in uſum vocari poſſunt. Et piſces ſaxatiles, avesque omnes, exceptis paluſtribus, prodeſſe vult *Oribaſ. l. 7. c. 13.* Sunt qui ova recentia, tremula, & ſorbilia liberaliter concedanda autumant, *quæ tamen propter bilis generationem aliquibus ſuſpecta redduntur.* Carnes quoque animalium, ut vituli, vervecis, hædi, gallinarum, perdicum, caponum, & ſimilium conveniunt, cum quibus cordialia incoqui poſſunt. Inprimis cancrorum carnem comeſtam, vel jus ipſorum bibitum, admodùm probat *Plater. Prax. tr. 2. p. m. 843.* A quibus verò hîc abſtinendum, ex ſupra enumeratis cancri cauſis elucet. *Guarinon. conſ. 513.* ex oleribus tanquam peſtem braſſicam vitandam eſſe, cenſet. In POTU cereviſia tenuis, & defecata exhibeatur, ut & aqua hordei cum paſſulis, ficubus, & herbis modicè refrigerantibus, præparata. Vinum conceditur optimum, oligophoron tamē, quia cancroſos præ cæteris reficit. *Vina Medicata, ex hepaticis, ſpleneticis, uterinis, & vulnerariis plantis compoſita, non ſunt negligenda.* Omne verò craſſum, recens, & feculentum vinum, & ejusdē generis cereviſia fugienda. Lactis uſus hîc valdè cōmendatur, quùm calorem & acrimoniam humoris atrabilarii corrigat. Hinc *Galenus* inquit, cancrum apud Scythas lactis potatores nunquam ferè apparere. MOTUS corporis vehementiores vix locum habent, ſangvis enim fervidior ac concitatior ad partem obſeſſam ruit, & vires etiam ſatis aliàs defatigatæ, magis debilitantur. SOMNUS debet eſſe moderatus, in virium tamen nimiâ imbecillitate paulò longior non nocet. ALVUS ſi eſt adſtrictior, lenientibus aperienda, ut natura onere levata, cōmodiùs ſuum facere poſſit officium, unde *Avenzoar in Epiſt. ad Reg. Qui mollem habent alvum, paucis corripiuntur morbis.* Cavendum autem, ne fluxus alvi excitetur, atq; ita vires magis diſſipentur. ANIMI denique affectus omnes, præſertim immodici hîc ſunt vitādi, gaudiū verò moderatū, cùm animū exhilaret, cor ac vitales ſpirit9 foveat, prę reliquis cōvenit. *Oēs imò vitæ leges μέσον ἄϱιϛον reſpicere debeant.* At-

Atq; Hæc de Cancro in medium prolaturus fui. Plura quidem materiæ gravitas & dignitas requirit. Verùm ne ex Disputatione fiat Tractatus, vela contraho & *Deo Medico Optimo* devotas animitùs ago gratias, quod votum non solùm neum secundaverit, sed navem etiam, ne in hoc concussi orbis motu à procellosis tempestatum fluctibus opprimeretur, salvam ad portum collocaverit, Cui sit Laus, Honor, Gloria, & Gratiarum actio in secula seculorum.

Hæres paterni nominis FINCKI inclyte
Amice suavis, splendidum Phœbi decus:
Virtute dum nitens vigoreq; ingenI
supra caducitatis hæcce turbida
convexa scandis, lynceoq; lumine
conquiris arma, & omne telorum genus,
Natura se quibus alma victrix vindicet,
& impetus eludat ægritudinum,
seseq; tutam sedibus firmet suis
si fortè flammeos rotaverit globos,
vitæq; CANCER læta prædia occupet.
LAUDEM MERERIS. Digna Cedro Tempora
victrice gestit fronde cingere Apollo: *quin*
& lapsa cælo, mater alma gaudij
Hygeia sudorum tuorum præmium
FELICITATEM porrigit promptâ manu.
Hanc fronte lætâ, menteq; alacri suscipe.

FINCKIO
Paternæ Medicæ doctrinæ
Experientiæ & felicitatis
LAUDE
Claro, & multis bonis
commendato
P[illegible] LICENTIA, *Gradum* DOCTORALEM *petendi*
& impetrandi, omnia fausta apprecatur
GUERNERUS ROLFINCK Phil. Med. Doct.
Practicæ & Chimiæ Profess. Publ.
Facultat. Senior.

DIra queî CANCRI rabiês per artûs
sæviens omnes, celebri medentûm
Arte pellatur, levis haud laboris
est opus unquam.

Tu tamen, FINCKI, generosa proles
stirpe Phœbéa sata, nil laborem
Improbum curans, aditum patentem
sternis ad alta;

Ritè sat promens cacoêthis atri
signa, funestum geniumque, *Cous*
Et simul quæ vel *Paracelsus* ipse
Pharmaca monstrat.

Regium idcircò meritò Tibi nos
Pandimus callem, penitùs polito
Artium cultu, *licet usq; livor*
frendeat ipse;

Regium callem reseramus; ædes
Dignus ut claras adeas honoris,
Te probes æquè populoque, nobis
atque probâsti.

JOVA sacrato Zephyro supernè
Adsit inceptis, faveatque porrò
Ausibus FINCKI placidus, beetque
Omnia. *Fiat!*

Imq; adponebat

Gothofredus Mœbius Med. D.
Profess. Publ. Facultat.
Medic. p. t. Decanus.

Hos

Oc duplex Laudis punctum Famaq́; meretur;
Et Matri & Natæ *sacra tulisse simul.*
Matri, *quæ* Sophia *est, quâ de celeberrima* proles,
Ars-Medica, *è Physico semine, nata fuit.*
Hoc quoq́; felici fecisti utrumq́; labore
FINCKI, Mœonidum, Pæonidumque *decus.*
Mœonias etenim & Cycli septemplicis Artes,
Et quicquid Sophiæ Curia docta docet,
Et quicquid Cous, *quicquid divinior* Hermes,
Et Medici scripsit docta caterva chori;
Omnem hanc doctrinam vigilace labore parâsti,
Aonios versans nocte dieq́; libros.
Hinc Tibi certatim nunc utraq́; promit honores
Philosophia *suos, &* Medicina *suos.*
Illa *quidem viridi obnubens Tua tempora Laurû,*
Dat titulum, & quævis jura Magisterii.
Hæc, *dum Pæoniam ingenti cum laude cathedram*
Scandis, de CANCRO lemmata docta docens;
Hæc, inquam, meritò quoq́; Te mactabit honore,
DOCTURÆq́; brevi summa brabéa dabit.
Gratulor hoc igitur de laudis duplice puncto,
Et precor è cordis prospera quæq́; sinu;
Et voveo, utq́; brevi ternos superaddat honores
Alma Venus, *jungens Phyllida pulchricomam.*
Et sic Mœoniâ, sic Pœoniaq́; beatus,
Sicq́; Dionæâ laude beatus eris!

Clarissimo Viro
Dn. M. Johanni Nicolao Finckio,
Pro Licentiâ, *Gradum in Facultate Medicâ DOCTOREUM assumendi*, Disputanti, *Dominô consalino & Amico colendo, ex animo gratulor, & omnia fausta atq́; felicia apprecor*

Johann Zeisold,
Phys. Prof. Publ.

FINCKI, Conspicuum Pœoniæ Decus
Artis, Dulce animi Dimidium mei,
Quâ CANCER methodô, mortiferum malum,
queîs herbis, validô quô medicamine,
extirparier, & pristina partibus
ægris integritas restitui queat;
Hôc præsente palàm dum foliô facis,
doctâ quæque manu fusiùs edocens:
Disponente DEO, JENA, Machaoni
Sedes firma manens, en! rata jam facit,
olim quæ *Philyræ* vota dedêre agri.
Nostris nempè adeò favit & adnuit
NUMEN consiliis. Ter benedicta sint
EJUS Sacra sacrô NOMINA nomine!
NUTU cœpta SUO dirigat amplius!
Sed totô ex animô nunc TIBI gratulor,
cum voto: PATRIAM FAMAM ADIPISCERE!

Ita
FINCKIO, Theoriâ Praxiq; Claro, Competitori, atq; Amico suo exoptatissimo ὁλοψύχως *adprecatur*
M. Johannes Zencker, Schleizâ-Variscus.

QVàm parùm livor comitem malignum,
Se usq; virtuti socians obesse
Possit augustæ cupidâ Minervæ
Mente sacratis,
Id probas FRATER, stimulis petite
Invidis, ictus animosior dum
Surgis adversùs, capiens honorum
Summa brabéa.
Gratulor! bilis tumeat profusa
Invido, *Tu DOCTOR abi, Tuosq;*
Prosperè fructûs mete, livido Te
Non remorante!
Johann: Otto Finckius, Phil. & S.S. Theolog. Studios.

F I N I S.